




5+6/2005

IDIBVS DECEMBRIBUS

MMV



RUMOR VARIVS



TOMVS 27

FASC. 156

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA,
in ædibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA
est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Premium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	30.-
In ceteris terris	EUR	25.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Estelle (Stella) Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus
publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum
editoriam: RVMOR VARIVS,
C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

BCG, Genève
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,
Z 3281.88.11

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement
(jährlich/annual)

Schweiz/Suisse	CHF	30.-
Ausland/Etranger	EUR	25.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impresión: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition
RVMOR VARIVS,
c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch
www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

BCG, Genève
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,
Z 3281.88.11



PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Ecce nova fabula natalis, cui ante nonnullos annos occurri. Agitur de angelo quodam, qui cantare noluit:



Cum manus exercitum caelestium supra campos Bethleemitos iubilavit: "Gloria deo in excelsis et in terra pax inter homines", angelus parvus subito cantare destitit. Quamquam in choro ingenti parva tantum vox erat, tamen silentium eius animadversum est. Angeli in ordinibus continuis cantare solent, itaque omnis lacuna statim conspicua est. Angeli iuxta angelum parvum cantantes stupuerunt etiamque conticuerunt. Silentium celeriter auctum est, et non multum aberat, quin totus chorus labeficeret, nisi nonnulli angeli maiores perseverantes vocibus crescentibus cantus ruinam prohibuerent.

Unus angelorum maiorum causam silentii periculosi inquisivit. Nutu capitatis cantum proprius cantantium direxit et ad angelum parvum se advertit. "Cur cantare non vis?" eum severiter interrogavit. Ille respondit: "Cantare volui. Partes meas cantavi usque ad illud 'gloria sit deo in excelsis'. Sed illud 'pax in terra inter homines' cantare non iam potui. Subito multos milites Romanos in hac terra et in omnibus terris ante oculos mihi posui. Semper et ubique bellum et terrorem propagant, veteres et iuvenes interficiunt et ista facinora 'pacem Romanam' dicunt. Et ibi quoque, ubi non sunt milites, vis et rixa sunt, inter homines pugni et maledicta volant et amaritudo est in eos, qui aliter cogitant. Etiam illos coniuges cum infante modo nato propter tributa militaria Bethlehem in oppidum se conferre oportuit, et quis sciat, quomodo homines illum infantem tractatur sint?!"

"Num tu id scis?" angelus maior parvum interrupt. Qui respondit: "Nescio, et providere non possum. Sed quae video, satis mihi sunt. Non verum est pacem in terra inter homines esse, et equidem contra mentem





meam non canto!" Vultu contumace sic locutus est. Nonnulli angeli aetate minores circumstantes magna voce applauserunt.

"Tacete - vel potius cantate!" angelus magnus eis acclamavit et rebellem iuvenem paululum seducit. Ibi ei dixit: "Tune ergo scire velis, quid sit pax? Sinisne animum tuum cogitationibus sine pace et discordiae plenis imbui, et alias tua perturbatione inficis? Harmoniam nostrae laudationis dei interrumpis et concordiam mundi caelestis perturbas, quod discordia mundi hominum te vexat? Non comprehendis, quid sit factum hac nocte Bethlehem in oppido, et velis inopiam totius mundi comprehendere?" Angelus parvus se defendit: "Non affirmo me omnia comprehendere. Sed sentio differentiam inter ea, quae cantamus, et ea, quae revera in terris fiunt. Nimia est differentia meo sensui, et hanc diversitatem non iam sustineo!"

Angelus magnus tacens diu eum spectabat. Videbatur absens quasi praeceptum ex excelsis exspectans. Tum annuit et loqui coepit: "Bene. Tu diversitate inter caelum et terram vexaris, inter excelsum et profundum. Ergo scias hac nocte eam ipsam diversitatem superatam esse. Is infans, qui natus est et cuius de futuris tu sollicitaris, pacem nostram in terram feret. Hac nocte deus omnibus pacem suum offert et discordiam quoque hominum in se finire vult. Propter eam ipsam causam cantamus, etiamsi homines hoc secretum et omnia ex eo sequentia nondum au-diant et comprehendant. Nostro cantu diversitati non obstrepimus, ut putas. Carmen novum cantamus."

Parvus angelus exclamavit: "Si ita est, libenter cantare pergo." Sed angelus magnus caput concussit et dixit: "Non perges nobiscum cantare. Aliud munus suscipes. Non reverteris nobiscum in excelsa. Ab hac die pacem dei et eius infantis ad homines feres. Die nocteque in via eris. Ostia hominum pulsabis et in cordibus eorum desiderium pacis inseres. In disceptionibus diuturnis contumacibusque eorum te adesse oportebit et medias in turbas sententiarum minarumque cogitationes tuas immitere. Oportebit te eorum dicta simulata mendaciaque detegere et alias falsis sonis diffidentes reddere, ut vera sententia in lucem proferantur et



istos terreat. Te expellent, sed tu in eorum limi-nibus sedebis et pertinaciter manebis. Oportebit te innocentes alis tuis protegere et clamorem eorum ad nos transmittere. Nulla causa cantandi tibi erit, multum queri et flere debebis."

Angelus parvus haec verba audiens primum minor, tum autem - ipse non animadvertis - maior maiorque factus est. Huic muneri difficilli-mo reniti voluit, sed angelus magnus: "Tu ita voluisti", inquit. "Veritatem magis amas quam laudationem dei. Id signum proprium tuae naturae nunc munus tuum fit. Sed nunc abi. Cantus noster te comitabitur, ne oblitus sis pacem hac nocte in mundum venisse."

Dum loquitur palmae ramum decerpit et in eum spiravit dicens: "Fer hunc ramum tecum! Odorem caeli conservat et te in exhalationibus hominum confirmabit." Tum angelus magnus ad locum suum in choro caelesti revertit et cantare perrexit.

Angelus pacis autem campos Bethleemitos intravit. Cum pastoribus ad infantem in praesepio iacentem migravit et corda eorum patefecit, ut comprehendenderent, quae viderunt. Tum in terras longinas profectus laborem difficillimum suscepit. Inimice trac-tatus et iterum iterumque vulneratus ex eo tempore officio suo fungitur et operam dat, ne desiderium pacis umquam desinat, sed crescat; homines sollicitat et eos incitat pacem quaerere et creare. Qui ei se aperit et adest, subito cantum caelestem procul audit, qui eum confirmat, ne laborem pacis inter homines efficiendae remittat.



Maximas vobis gratias agimus pro symbolis ad argumentum 'De mundi religionibus' nobis missis! Magnam partem huius libelli explent! Sit vobis annus novus felix faustus fortunatusque! Sit angelus pacis vobiscum!

Valete!

D. W.

Daniel Weissmann.

Beza Bullingero

De biblia sacra

Non sine ingenio mihi fuisse videtur ille theologus nomine Samuel Werensfels (1657-1740), qui de biblia sacra composuit hoc distichon:

Hic liber est in quo sua quaerit dogmata quisque
invenit et pariter dogmata quisque sua.


Qui putat hoc erratum esse, immo Scripturam Sanctam absoluta limpiditate atque modo monolithico hominibus viam monstrare, meminerit quaeo controversias antiquissimas de natura divina Iesu Christi (homoi-an homo-ousios?), de conceptione immaculata, de spiritu sancto (...filioque), de transsubstantiatione in eucharistia, de praedestinatione; meminerit etiam exustiones innumerabilium haereticorum (christianorum!), meminerit bella inter Christianos gesta sicut illud taeterimum triginta annorum (1618-48). Qui autem putat has dissensiones antiquiores nec iam memoratu dignas esse, consideret dissensiones novissimas de divortio, de conceptione cavenda, de abortu artificiali, de sacerdotio muliebri, de caelibatu sacerdotum, de homosexualitate, de natura hominis in evolutione mundi, de vita aeterna et suppicio aeterno, etc. pp.

Vossius ille clarus interpres operum Homeri (1751-1826) vertit distichon supra allatum hoc modo in lingua Germanicam:

Die Bibel ist ein Buch, wo jeglicher, was ihn gelüstet,
sucht und jeglicher auch, was ihn gelüstet, entdeckt.

Fons: Hans-Joachim Schoeps, Ungeflügelte Worte, Wiesbaden o. J., p. 192 s.

Peter Bosshard



4. Oct. 1654. Scipio S. et gratias a domino Bullingero 1654. Beza Bullingero Lutetiae 9. Octobr. 1654.
Puto tibi redditus esse D. Calvini trias, my pater. ex quibus intellectisti quis sit in Gallie ecclesiastis status. Utinam vel erueritissimi regis edictum Latine scriptum esset, vel tam minime mali daretur ocy ut possit latinum facere. Videres paucis paginis copiam omnem excitationem crudelitatis genus. Sed omnia significari potest! Tamquam abest ut Evangelij amplificationem ea res impedit, ut contra misericordiam prodebet sententiam ad duos Christos undique dispersas in una ueluti gregem cogendas. Id + evanpelum vel una Genesia sat satis potest, in quam hodie certamin ex omnibus ex Gallia et Itala regionibus tot exultes confluunt, ut tantum multitudinem iuxta numerum sufficiat. Ceterum esse quid intentum? Satan relinguere, nuper admodum, ne tempore paulopost quam D. Calvini ad te scripti, canantis quod in ecclesiis Generosi intestinum et dissidium excitare. Is enim curius de prouidentia et predestinatione, ex libero arbitrio axiomata apud te super reliquias, quin ad hunc operis bellum et celestis nos index esset, tandem prodit ex suis latribus, et in medio fabularum Generosis ecclesiastis causa seditionis et impudentissime doctrinam suam caput proponere, nominatim et in medio, D. Zwingli et presentem Calvini evocantes, quos solos ex antiquis et recentioribus vociferabantur. Ex doctrina de predestinatione et libero arbitrio corripisse. Respondunt Calvini tanto promptius ut ad summa pietatem et dicendi uerbenter et inibz defuisse videantur, ex bonorum iudicio eo die se ipsa plam superuenit. Mansit carmen ille in sententia. Itaq; paulopost a magistratu tangit, seditionis et manifestis sycophantia in carcere est carceris ubi numeri etiam infamie perficit. Eroditur autem hoc monstru hominis ex Carruslitatu lustris ab initio quinquevum. Inde quin Italia perisse in fancilia religiosisima principis Ferrarensis receperat medicina Empirica opera dedit. Tandem, oitis factus excessus propter turbulenta ingenuis, que recipit cum uxore, ut sed Empirion faceret. Vix urbem ingressus magno fastu doctrinam illam sua uenit, tare. Reputans et admirans a Calvino ut senior esset Viniacum abiit, quod appudulum queritor a nobis missaribus tamquam defensas, in Bernonis dictione. Huj egregia illa paraphrasij et axiomata confundit, ut quid agit te reliquias minimis timo quidem cogitans. De forent hat Tragedia ab illo excitaretur. Vocatus a nobis, carpingit, monitus doceri non uoluit. Quid plura? quin negaremus nos et insania diuersis Latribus, alio migrare, et in pagi scilicet Genesia propinquos, et paulo post hanc Tragediam excitavit, cuius nomen exitu spectamus. Obscuritate, my pater, non est talia fuerunt Anabaptismi initia. Sed deus meliora. Et si am non dubito quin rem totam ex ipso D. Calvino breui intelligas copiosus et accuratus descripsa, uolui tamen te huius rei admoniti ut tu quoq; ad hoc restinguendu nascentis incendiis accurras. Rego igit ut ipsius doctrinam expellas, et paucis et nos adorantes eorum quae maxime putabis ad hanc causam pertinente. Causa autem rapita hanc pugna. Sunne quid ab aeterno reprobatus, et ideo conditus a deo ut esset uaz ira. Simile reprobii ideo non pro obsequio inereditus.

an contra, ideo incredulus quia reprobus, ideo aut deoscula gratia incredulus.
 Inde natus uides quas pionerij de arbitriis humanarum ueritatis. Nam idem
 de electis quod de reprobis constituentur erit. Dicimus satemur
 incredulos propter incredulitatem, et culpam condemnationis non
 in homine genuimus reiiciimus. In reprobatione autem sola spechamus
 de jure uoluntatem, quae sola est iustitia regula, et ut Paulus exala-
 manus, o altissimo. Ut uero clamat Dominus hoc pacto a nobis consti-
 tuyt auctore peccati, et ueluti Tyrannus, cui sufficiat pro ratione
 uoluntas. Si quem enim Deus reprobat, hoc facit quia simul
 prouinciat fore ut gratia illi oblate, quia potuit amplius, rep-
 uiicit. At qui si Dominus idcirco reprobat quia praesens
 incredulitatem idcirco est eligit quia prouident fidem, qui
 tamen confitit nos, et tibi propter fidem, sed ideo credere quia
 electi sumus, alioquin ex nobis ponderet electio non ex gratia.
 Dicimus ergo eni[m] quia reprobatione tollat, nulla electionem
 naturae posse. dicimus inter causas distinguendam. dicimus
 hic nihil tribuendum esse nostre rationis iudicio. dicimus per se
 uaries finies considerandos, nam ut est peccatum, eius culpa omni-
 ni homini imprimitate esse conferenda, ut autem pender-
 a reprobatione, decernitur deo ad gloria ipsius amplificanda
 malorum supplicij. dicimus derrig in reprobis tres esse tres
 gradus hoc ordine considerandos, Reprobationem, Incur-
 dulitatem vel Ignorantiam, Mortem eternam, quibus ab
 totidem respondemus in electis, nempe gratuia Electio,
 Fides, Vita eterna. Obsecro te, mi pater, ut si quid hu-
 a me pratermissu[m], si quid ambiguum aut durius a me lat-
 scriptum putas, ne me graueris admoneret quid addenda
 tollendum, immutandum sedas. Ne enim digna est tua
 singulariter tua protata, crudelior, iudicio, et omnibus
 corleis gratia feceris, opinor, ^{hunc} infirmorum causa, si
 haec non constitueremur nunc quia aut horitate et ea interposi-
 tur. Sed minus diu tanquam scimus. Huius autem rei culpa
 omnis is ipse sustineat aperget qui tota haec extrahens
 mant. Age uero qui nihil facio libertius quam quis ali-
 te scribat tu etiam tantum miti persuasi de existentia

2

humanitatis, et benivolentia ergo me singulari ut speraro
 uocauis has tres quam longiores tibi tamen nec irragatas
 nec iniuricas fore, quia spes non me spes fallat re et
 ergo et rogo. Dominus Iesus te conservet Ecclesia sua,
 mi pater. D. Vires, & libitudo, ceteris tres mox
 tota uestra et uita salutant. Vxor quoq[ue] mea te salutat
 cu[m] tota familia. Bene uale. Laurana, & uarto
 Calcidias Novemb[ris]. [1581]

Theod. Beza, plani tuis.

Eximio Christi servo, D. Henrico Bullingeru
 Ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo
 Tiguri

Salutem et gratiam a Domino.

Puto tibi redditas esse D. Calvini lit[er]as, mi pater, ex quibus intellexisti
 quis sit in Gallia ecclesiarum status. Utinam vel cruentissimum regis edic-
 tum latine scriptum esset, vel tantum nunc mihi daretur ocii ut possem
 latinum facere. Videres paucis paginis comprehensum omne excogitatae
 crudelitatis genus. Sed o mirificam Dei nostri potentiam! Tantum abest
 ut Evangelii amplificationem ea res impedit, ut contra nihil aequem
 prodesse sentiamus ad oves Christi undique dispersas in unum veluti
 gregem cogendas. Id testari vel una Geneva satis potest in quam hodie
 certatim ex omnibus et Galliae et Italiae regionibus tot exules confluunt,
 ut tantae multitudini vix nunc sufficiat.

Caeterum ne quid intentatum Satan relinqueret, nuper admodum,
 nempe paulo post quam D. Calvinus ad te scripsit, conatus est in eccl-
 esia Genevensi intestinum etiam dissidium excitare. Is enim cuius de pro-
 videntia, praedestinatione, et libero arbitrio axiomata apud te nuper
 reliqui, quum adhuc apertum bellum ecclesiis non indixisset, tandem
 prodiit e suis latebris et in medio Genevensis ecclesiae coetu seditiosis-



Bullinger

sime et impudentissime doctrinam suam coepit proponere, nominatim etiam, ut audio D. Zuinglium et praesentem Calvinum arguens, quos solos ex antiquis et recentioribus vociferabatur doctrinam de praedes-tinatione et libero arbitrio corrupisse. Respondit Calvinus tanto spiritu ut ad sum-mam pietatem et dicendi vehementiam nihil defuisse videretur, et bonorum iudicio eo die se ipsum plane superaret. Mansit tamen ille in sententia. Itaque paulo post a magistratu tanquam seditiosus et manifestus sycophanta in carcerem est coniectus, ubi nunc etiam insanire pergit. Prodiit autem hoc monstrum hominis ex Carmelitarum lustris ab hinc quinquennium. Inde quum Italiam petisset, in familiam religiosissimae principis Ferrariensis receptus medicinae empiricae operam dedit. Tandem illic omnibus factus exosus propter tur-bulentum ingenium, Genevam se recepit cum uxore, ut suam empiricam faceret. Vix urbem ingressus magno fastu coepit doctrinam illam suam venditare. Reprehensus et admonitus a Calvino ut sanior esset, Vivacum abiit, quod oppidulum quatuor a nobis miliaribus tantum distat, in Bernensi ditione. Ibi egregiam illam paraphrasin et axiomata conscripsit quae apud te reliqui, minime tunc quidem cogitans fore ut haec Tragoedia ab illo excitaretur. Vocatus a nobis, correptus, monitus, doceri nunquam voluit. Quid plura? Quum [Cum] negaremus nos ipsius insaniam diutus laturos, alio migravit, in pagum scilicet Genevae propinquum, et paulo post hanc Tragoediam excitavit, cuius nunc exitum expectamus.

Obsecro te, mi pater, nonne talia fuerunt Anabaptismi initia? Sed Deus meliora. Etsi autem non dubito quin rem totam ex ipso D. Calvino brevi intelligas copiosius et accuratius descriptam, volui tamen te huius rei admonitum ut tu quoque ad hoc restinguendum nascens incendium accuras. Rogo igitur ut ipsius doctrinam expendas, et paucis etiam nos admoneas eorum quae maxime putabis ad hanc causam pertinere. Causae autem capita haec sunt praeципua. Sitne quisquam ab aeterno reprobatus, et ideo conditus a Deo ut esset vas irae? Sintne reprobi ideo

reprobi quia increduli, an contra, ideo increduli quia reprobi, ideo autem damnati quia increduli? Inde nasci vides quaestionem de arbitrii humani viribus. Nam idem de electis quod de reprobis constituendum erit. Damnari fatemur incredulos propter incredulitatem, et culpam omnem condemnationis in hominem reiiciimus. In reprobatione autem solam spectamus Dei voluntatem, quae sola est iustitiae regula, et cum Paulo exclamamus: O altitudo! Ille vero clamat Deum hoc pacto a nobis constitui authorem peccati, et veluti Tyrannum, cui sufficiat pro ratione voluntas. Si quem enim, inquit, Deus reprobat, hoc facit quia simul præscivit fore ut gratiam illi oblatam, quam potuit amplecti reiiciat. Atqui, si Dominus idcirco reprobat, quia præscit incredulitatem, idcirco etiam eligit, quia prævidet fidem, quum tamen constet nos non eligi propter fidem, sed ideo credere quia electi simus alioqui ex nobis pen-deret electio, non ex gratia. Dicimus ergo eum qui reprobationem tollat, nullam electionem statuere posse; dicimus inter causas distinguendum. Dicimus hic nihil tribuendum esse nostrae rationis iudicio. Dicimus peccati varios fines consyderandos, nam ut est peccatum, eius culpam omnem in hominum improbitatem esse conferendam, ut autem pendet a reprobatione decerni a Deo ad gloriam ipsius amplificandam malorum suppliciis. Dicimus denique in reprobis tres esse gradus hoc ordine considerandos, Reprobationem, Incredulitatem vel Ignorantiam Dei, Mortem aeternam, quibus totidem respondeant in electis, nempe gratui-ta Electio, Fides, Vita aeterna. Obsecro te, mi pater, ut si quid hic a me praetermissum, si quid ambigue aut durius a me scriptum putas, ne me graveris admonere quid addendum, tollendum, immutandum credas. Res enim digna est singulari tua pietate, eru-ditione, iudicio, et omnibus ecclesiis gratum feceris, opinor, si vel infirmorum causa, in hac re constituenda nunc quoque autoritatem tuam interposueris.

Sed nimis diu te retineo. Huius autem rei cul-pam omnem is ipse sustineat oportet, qui totam hanc controversiam movit. Ego vero quum nihil facio libentius quam quum ad te



Beza

scibo, tum etiam tantum mihi persuasi de eximia tua humanitate, et benevolentia erga me singulari ut sperare audeam has lit[t]eras quamvis longiores tibi tamen nec ingratis nec iniucundas fore, quae ne me spes fallat, te etiam atque etiam rogo. Dominus Jesus te conservet Ecclesiae suae, mi pater. D. Viretus, Ribittus, caeterique fratres mecum totam vestram ecclesiam salutant. Uxor quoque mea, te salutat cum tota familia.

Bene vale. Lausanae, quarto Caldendas Novembris.

Theod. Beza, plane tuus.

Fons: Genevae, Bibl. publica, ms lat. II8^a, fol. I

Autographam epistulam vobis proposuit Stella Gitta.



Religio bonum sit an malum

Cum omnibus temporibus homines quarumlibet terrarum potestatem quandam superiorem adoraverint coluerintque, hodiernis contra diebus numerus eorum, qui deum deosve esse negent, augeri videtur, imprimis autem in nostra societate Europaea occidentali. Multi etiam sunt, quibus, utrum sit deus an non, curae non sit, quia vita cottidiana curisque diurnis occupatis ad philosophandum, quod dicunt, non est tempus. Quales, ut exemplis utar, in autocineto gubernando, in discipulis docendis, in virtualibus emendis vel vendendis, quales, dicam, tota in vita cottidiana partes deus nescioqui agat? Quaecumque optaverim, habeo - quid deus mihi det?

Interdum autem certis intervallis interpositis tali e quiete vehementer excitamus. Calamitates naturales, velut inundationes maxime, procellae, ignivomorum eruptiones montium, nos perturbant, tangunt, evellunt. Propinquorum morte subita abreptorum sors nos affligit. Bella ubique terrarum gesta crudelissima nos terrent. Condiciones pessimae permulorum hominum nos premunt.

His omnibus cognitis multi homines anxie causas quaerunt atque explicare conantur, cur haec omnia fiant iniustissime. Statim ei, qui iam semper deum esse negabant, subridentes autumant: Si deus esset, haec omnia non toleraret, sed iustitiam crearet toto in orbe terrarum. Deus religioque ab hominibus callidissimis inventi sunt, ut infelices sedentur, ne potentibus bellum inferant neve condiciones, quales sunt, mutentur.



Quae ad argumenta difficile est responsu, quia vera multa eorum, quae sunt, iniusta ac nefaria vocari oportet. Ceterum negari non potest saepe iam homines sub specie religionis esse deceptos et bonis privatos. Etiam hodie sectarum duces nonnulli magis fidelium marsupium quam salutem curant. Insuper nonnumquam homines religionem publice confitentes exemplum malum ceteris praebent ita, ut facile dici possit illos ceteris non meliores esse. Inde mirandum non est, quod religionem negantes et repudiantes in dies augeri videntur.

Cur tamen sunt, qui religionem non modo confiteantur, sed etiam cottidie ita vivere conentur ut eis religionis legibus praescribitur? Quae ut bene cognoscantur, loquendum est non de religione quapiam, sed afferrendum est certae religionis exemplum, religionis ergo Christianae, quae his in regionibus nostris praevalet, etsi numerus incolarum Islamice credentium propter immigrationem crescit.




Mulieres virique Christiani primum non theoriae theologicae confidunt, sed homini cuidam, i.e. Iesu Christo. Quem et deum et hominem esse credentes filium dei unius altissimi de caelo descendisse et triginta tres annos hominem inter homines vixisse, deinde crucifixum, defunctum, sepultumque esse, tertio autem die a mortuis resurrexisse pro certo habent. Haec omnia facta esse, ut homines omnium terrarum temporumque morti destituti peccatis demissis ad vitam aeternam pervenirent. Neminem enim dignum esse,

qui ad eandem vitam aeternam perveniat, sed Iesum Christum morte sua omnium culpam solvisse et homines ita redemisse docent. Quisquis ergo fidem in Iesu Christo ponat eiusque praescripta sequatur, eum gaudii sempiterni participem fore. Talia vero praescripta esse haec: Ama deum et ama proximum!

Doctrina illa si vera est, vita haec terrestris non tanti momenti est, quanti vita aeterna. Gaudia terrestria et calamitates terrestres praetereunt. Homini imprimis videndum est, ut ita vivat, ut redemptionis fructum, i.e. vitae aeternae, particeps fiat. Vita enim vera non nisi morte peracta incipiet. Homini ratio reddenda est de vita sua. Quidquid boni malique fecerit, patet die vitae ultimo. Sed etiamsi multa et mala commiserit, desperandi nulla erit causa, si peccatorum eum paenitebit. Iesus cruci affixus homini scelestissimo, quem crima eius paenitebat, paradisum promisit! Paenitentia ergo summa lex est Christianis, nam nemo tam bonus est, ut sine paenitentia, factis tantum bonis confisus, ad vitam aeternam perveniat. Attamen facta bona semper assequenda sunt, nam amor dei obsequio ex primitur. Inde Christiani, etsi eis hic mundus non tanti momenti est, quanti mundus divinus, tamen obligantur, ut mundo hominibusque et creaturis ceteris quam optime provideant. Nam qui homines non amat, etiam deum amare nescit.

Religio Christiana ergo hominibus fidentibus imprimis spem optimi futuri praebet, sed etiam adiuvat in bene et aequo animo vivendo. Qui enim vitam aeternam curis aerumnisque liberam fore credit, in gaudiis non nimis exultat, in calamitatibus non desperat. Insuper leges Christianae si servarentur, crimina omnia tollerentur, quia amor dei et proximi rapinas et caedes et fornicationes et fraudes non patitur. Ista omnia ab eis tantum committuntur, qui vitam aeternam negantes quam plurima in hac vita sibi acquirere temptant.



Religio bonum an malum sit, interrogatis, o lectores. Malum est, si ad decipiendos homines adhibetur, bonum est, si perducit et ad vitam beatitudinemque aeternam et ad pacem concordiamque inter homines.

Martinus Meier.

De veterum Slavorum Occidentalium deo nomine Svarozic

Pagum Riedariorum, *Theod.* «Rethra» nuncupatum (tempore nostro regio deserta), itaque fines Pomeraniae Germaniae Slavicae, ut hodierni dicunt, olim gens Liuticorum incolebat, una multarum gentium Slavorum ex regionibus fluvii Albi (*Slav.* Lobjo/Laba/, *Theod.* Elbe) huc migrantium. Haec gens populi paganici deos venerabatur, ex quibus primus Svarozic erat.

Quod nomen quoque lingua Soraborum (*Theod.* Sorben) finitimorum Liuticorum testatur, sed a lingua Russica vetere: «svarogi» derivatum id est, quod Thietmarius Merseburgensis in sua «Chronica» Latine vocabulo «Zuarasici» reddit. Istud nomen *litigatorem*, *rixatorem*, *puniatorem* significat, quod voci «svara» *rixa*, et vocali «og(i)» formae deificationis convenit; suffixum finale «(z)ic» est forma deminutivi filietatem significantis.



Reconstructio
Liuticorum arcis
Riedariae, quea
medio in loco
fanum idoli
Svarozic instat.

In arce Riedaria (*Sorab.* Radhos), principali loco cultus dei Svarozic', filii Svarog', erat «fanum de ligno artificiose compositum, quod pro basibus diversarum sustentabatur cornibus bestiarum. Hujus parietes variae deorum dearumque imagines mirifice insculptae exterius ornabant; interius autem dii stabant manu facti, singulis nominibus insculptis, galeis atque loricis terribiliter vestiti, quorum primus Zuarasici dicitur, et praeceps ceteris a cunctis gentilibus honorabatur et colebatur. Ad haec curiose tuenda ministri [fani] erant specialiter ab indigenis constituti, qui cum hoc idolis immolare seu iram eorundem placare

conveniebant, sedebant hi*{i}* dumtaxat, c*{a}*eteris asstantibus, et invicem clanculum mussantes, terram cum tremore infodiebant, quo sortibus emissis, rerum certitudinem dubiarum perquirebant. Quibus finitis, c*< a >*espite viridi eas operientes equum super fixas in terram duarum cuspides hastilium inter se transmissarum supplici*< i >* obsequio ducebant, et pr*< a >*emissis sortibus, quibus id [sc. rerum certitudinem] explorabant prius, per hunc [exitum?] quasi divinum denuo augur*{i}*abantur. Et si in duabus hi*{i}*s rebus par omen apparebat, factis complebatur.» (Thietmari «Chronicon», lib. VI, loc. 17).

Sicut unumquodque numen divinum («Idolum») Svarozic tutelam praestabant, qua Liutici imprimis in suis expeditionibus bellicis egebant.

Ille cultus paganicus usque ad a. MLXIX^{um} florebat; tum autem Saxoni duce episcopo Burchardo Halberstatense «provinciam Liuticorum ingressi, incenderunt, vastaverunt» (Annales Augustani, lib. III) et populum Slavorum partim extinxerunt partim in dicionem suam redegerunt.



Effigies verisimiliter idolorum sacerdotis veste Slavorum ornati et manibus cornu copiae tenentis in lapide apsidis ecclesiae Veteriecclesianensis [Altenkirchen] insculpta saec. XII^o facta.

Aliae etiam gentes Slavorum in regione Germaniae Slavicae inhabitantes etiam sua idola, itaque deos deasque factos, habebant et venerabantur, ut Glomaci (*Sorab. Golmacenjo, Theod. Deleminzi* sive *Talaminzi*) sive Runi insulani (isti deum quattuorcapitem Sviatovid, quod «mundivisorem» dicit, adorabant.)

Certe translaticius cultus idolorum vitae socialis personalisque quandam gradum, qui illo tempore iamdudum rerum facticiarum sive virium naturalium venerationem superaverant, praebebat. Sed non omnes Slavorum gentes, ut Lusici (in praesente Sorabi Inferiores) ac Milciani (Sorabi Superiores), superstitionalem ritum idolorum coluisse videtur.


Ideo non recte est credere fide hominum ad veram religionem viam quandam gradualem sive linearem factam esse.

Adalbertus M. Wochna

De Paulo apostolo



Bellum res est tam horrenda ut mirer equidem quomo- do nomen hoc ipsum non animis iniciat horrorem: in quo nimiam illam veterum immanitatem pati non possum, qui bello numen fecerant; praesertim cum qui operam nonnisi in arma impendat, non deus quidem ille sit, sed furia. Philosophia e caelo quidem data est, ad hoc impertita ut, naturae miracula contemplantes, animos ad cognitionem Dei ferremus; at neminem fugit illam ad officio suo saepe avocatam aperteque ad hoc esse adhibitam, ut impietatem sustineret. Ne sanctissimae quidem res ab hominum pravitate tutae sunt, et perditos viros cottidie videmus ipsa erga Deum pietate perverse utentes, quam ad maxima facinora molienda improba ratione convertunt. Nemo tamen propterea quae distinguenda sunt non distinguit; nec quisquam cum malitia corruptum corrup- tarum rerum bonitatem falsa quadam conclusione commiscet; sed ab ipso artis proposito malum semper usum seiungimus. Quocirca, Christiani, infelicem cottidie hominem facit homo, quippe qui e suomet ipsius arbitrio pendere pertinaci animo velit. Non enim illum ea miserum faciunt, quae extra eum sita sunt, nec quae supra eum, nec quae etiam apertissime obstare ei videntur; sed aerumnarum suarum ideo ipse fons est, quod factorum suorum regula ipse voluit esse.



Simplex quidem est oratio apostoli, sed sententiae plane divinae. Nam illi et rhetoricae experti et philosophiam despicienti in omnium rerum loco est Iesus Christus: cuius nomen, quod in ore semper habet, ac mysteria, de quibus tam divine verba facere solet, illius simplicitatem summa auctoritate ornabunt. Ibit ille bene dicendi artis imperitus, aspera utens elocutione peregrinumque olente sermone, ibit in Graeciam illam perpolitam, philosophorum oratorumque matrem; in qua plures, repugnantibus hominibus, instituet ecclesias quam discipulos sibi Plato illa, quae divina credita est, eloquentia conciliavit. Iesum praedicabit apud Athenienses, et in scholam illius barbari senatorum doctissimus ex Areopago transbit. Longius etiam victorias producit: nam et ad pedes






Salvatoris fascium romanorum maiestatem, proconsule devicto, prosternet, et formidinem iis iudicibus in tribunalibus iniciet, ad quos fuerit vocatus. Eiusdem Roma ipsa vocem audiet; et aliquando iudicabit urbs illa dominatrix multo sibi plus honoris ex epistula quadam ad cives suos Pauli sermone scripta allatum esse, quam e tam multis praclarisque contionibus quas e Cicerone suo audivit. Unde haec, Christiani, fiunt? Nempe iis artibus Paulus persuadendum utitur, quas nec Graecia docet nec Roma didicit.



Stella Gitta

Epigrammata ad religionem pertinentia



Potentior rege regina

Rex erat augustus caelorum luppiter olim:
fulgere mortales terruit innumeros.
Iunoni vero cedebat saepe maritus,
subditus iratae coniugis imperio.

Num de gentilitate actum est omnino?

Gentiles nunc esse deos quis credit in orbe?
Paganos longe Christicolae superant.
Sed Plutum, Bacchum, Venerem colit ampla caterva
vulgaris tantum materiae cupida.

Orestes Carbonero

Nathanis sapientis parabola de tribus anulis



Lessing



Quis fabulam titulo 'Nathan sapiens' a poeta Gotthold Ephraim Lessing compositam ignorat? Celeberrima est illa parabola tradendo et memorando digna per omnes aetates de tribus anulis, quam Nathan vere sapientissimus in hac fabula narrat:

Saladin sultanus inter tres religiones, Iudeam, Mahometanam et Christianam unam solam veram esse opinans Nathanem sapientissimum interrogaverat, quanam earum trium religionum veram existimaret. Nathan hanc parabolam narrans respondit:

"Temporibus longe remotis in orientali regione vir quidam vivebat, cui anulus inestimabilis pretii erat. Anuli lapidi, opalo centum coloribus pulcherrimis nitenti, vis secreta inerat gratum reddendi apud deum et homines eum, qui anulum ea ipsa fiducia gerebat. Nimurum ille vir in orientali regione vivens anulum digito numquam exuebat et praecepit, ut in aeternum in domo sua conservaretur. Anulum enim ex filiis suis tradidit ei, quem maxime amabat, et constituit, ut ille filius eodem modo anulum legaret ex filiis suis ei, quem maxime amaret, et porro filius maxime amatus ordine natus neglecto ex anuli vi solum domus princeps fieret.

Eo modo anulus a filio ad filium traditus denique ad patrem quandam pervenit, cui tres filii erant, quos, quia eodem modo patri obsequebantur, omnes pari affectu amabant. Modo hic, modo ille, modo tertius patri dignior anulo gerendo videbatur, cum quisque eorum solus cum patre versabatur et ille cogitationes et amorem aliis absentibus in unum advertit. Itaque unicuique filiorum anulum pollicitus est.

Multis annis praeteritis pater cum tempus moriendi appropinquare sentiret, in angustiis erat. Maxime enim dolebat se duos ex filiis, qui promisso patris confidebant, necessario spe deiecturum et maxime laesurum esse. Quid erat faciendum? Pater artificem clam arcessivit, quem iussit secundum specimen duos alios anulos conficere neque sumptibus neque operae parcentem, ut specimini omnino similes essent. Quod artifex

tanta arte perfecit, ut pater ipse, cum ille anulos apportavisset, novos confectos a specimine discernere non posset. Laetus hilarisque filios advocavit, unumquemque separatim, et unicuique separatim omnia laeta et prospera precatus anulum dedit animamque efflavit.

Patre vix mortuo suum quisque filiorum anulum ostendens princeps domus esse cupivit. Sed frustra inquirebant, frustra rixabantur, frustra querebantur: anulus principalis et verus cognosci non poterat, non secus ac religio vera a nobis cognosci non potest."



Tum Saladin miratus: "Quid? Talene responsum meae interrogationi est?" Nathan: "Veniam peto", ait, "si non audeo discernere illos anulos, quos pater hoc consilio confici iusserat, ne discernerentur." Saladin: "Putavi tamen", inquit, "illas religiones, quas dixi, inter se discerni consuetudine vestiendi, edendi, bibendi."

Nathan autem narrare perrexit: "Certe, sed a principiis discerni non possunt. Nonne in historia, sive tradita sive scripta, positae sint? Nonne historia solum cum fide accipienda est? Et cuius de fide minime dubitatur? Nonne de fide nostrorum, quibus cognati sumus, quorum amorem a pueris experti sumus, qui numquam nos deceperunt nisi, si nobis magis saluti erat decipi? Quid ego meis maioribus minus credam quam tu tuis? An tu tuis minus confidas quam ego meis? Num mihi licet a te postulare, ut tuos maiores mendaces ducas, ne a meis dissentias? An vice versa? Et de Christiano res eodem modo se habet."

Saladin admiratione imbutus intellexit Nathanem verum dixisse. Sapiens autem: "Sed ad anulos revertamur. Filii in ius ierunt, et quisque ante iudicem iuravit se anulum e manu patris accepisse - quod erat verum -, postquam pater iam dudum se privilegio anuli fruiturum promisisset - quod haud minus erat verum -. Quisque filiorum affirmavit se imaginari non posse patrem se fefellisse, et, priusquam de patre tam caro talia susciperet, se existimari cogi unum fratrum, quamquam de iis optimum solum existimare mallet, se fefellisse; proditores autem se investigaturum et ulturum esse.

Iudex ob iurgium indignatus exclamavit: "Nisi tandem patrem adduxeritis, vos a sede mea fugabo. Num me ad aenigmata solvenda hic esse



putatis? An exspectatis, dum anulus verus loqui incipiat? Sed, ut audivi, vero anulo vis mira inest, ut, qui eum gerit, apud deum et homines gratus redditur? Ex eo iudicandum est. Nam anuli falsi id certe non efficient. Dicite ergo, quem duo vestrum maxime ament! Siletisne? Anuli apud vos ipsos tantum valent, non apud alios? Quisque vestrum se ipsum modo maxime amat? O, si ita est, vos omnes decepti deceptores estis! Anuli vestri omnes non veri sunt.

Verum autem anulum amissum puto. Ad amissum occultandum pater illos tres pro uno conficiendos curavit. Itaque, si consilium meum vobis placeat, re, quomodo se habet, contenti sitis. Quisque vestrum anulum a patre accepit: Ergo suum quisque anulum verum ducat. Fortasse pater dominationem unius anuli in domo diutius sinere noluit. Certe vos omnes pari affectu amabat et uni favendo duos praeterire noluit. Agedum: Suo quisque amori incorrupto sine opinione praeiudicata operam det. Quisque certatim studeat, ut vis lapidis suo anulo illustretur. Quam vim adiuvet animo miti et placido, amore pacis, beneficiando studioque maximo in deo. Et cum vires lapidum apud liberos nepotesque vestros apparuerint, eos post millies milia annos iterum ad hanc sedem vobabo. Tum iudex me sapientior hic sedebit et iudicabit. Nunc autem abeatis!"

Sic iudex modestus locutus est; et si tu, Saladin, existimas te illum hominem propositum esse...."

Saladin: "Egone, qui nihil sum? O, care Nathan, millies milia anni nondum praeterierunt. Nunc i, sed, quaeso, sis amicus mihi!"



Latine rettulit Daniel Weissmann

Ad parabolam Nathanis epilogus

Non difficile intellectu mihi videtur nostra aetate hanc parabolam non minus actualem esse quam praeteritis saeculis. Variarum religionum fanatici adhuc existimant unam religionem tantum - suam scilicet -

veram esse et propterea omnes alia credentes cogitantesque, qui dogmata illorum sine ulla dissensione temere non accipiunt, quasi haereticos expellendos, persequendos et convertendos vel etiam necandos et penitus excidendos esse.

Isti furore religioso capti scientiam veritatis a se ipsis solis occupatam opinantes non intellegunt veritatem maiorem esse quam ut mente hominis totam cognosci possit, quia nos homines numquam totam veritatem, sed singulos illius aspectus tantum cognoscere possumus. Nemo mortalium scientiam veritatis totam occupare potest, et id non solum ad res religiosas pertinet.

De globo et veritate parabola

Ut imagine utar: Veritatem formae globosae similem esse puta! Cuius semper quandam partem - nobis adversam - videmus, aliam autem - nobis aversam scilicet - non videmus, prout ubi quisque nostrum versatur. Non fieri potest, quin aliquis sphaeram ex omnibus partibus simul videat et integrum eius aspectum habeat. Pariter singuli homines unam partem veritatis vident neque quisquam affirmare possit partem terminatam ex suo loco visam solam et quasi totam veritatem esse, partes autem ab aliis locis visas falsas esse.

Quomodo autem veritatis scientiae, quam numquam totam assequi possumus, augenda tamen est? Locum, quo versamur, mutemus! Circum globum eamus et eum e diversis locis spectemus! Communes inquiramus, cum aliis communicemus ea, quae nos videmus, et ab illis vicissim accipiamus, quae ex suo loco vident. Cogitationes aliorum non damnumus, sed colloquentes alii cum aliis non solum ipsi nostras cogitationes enuntiemus, sed etiam interdum taceamus et aliis patienter atque sine praeiudicata opinione aures praebeamus. Taliter agentes paulatim sapientiores erimus, et nostra et aliorum scientiae augebuntur.

Veritati appropinquabimus nobis concii tamen nos omnes partem tantum globi videre. Quod scilicet fieri non potest, si una pars inquirentium a priori veritatem sibi occupat postulatque.



Matter

Illud Mani Matteri (illius iuridici Bernensis propter carmina sua celeberrimi), mihi in mentem venit: "Cum quis ex aspectu quodam, cui non consentimus, suas considerationes faciat, tamen illae nobis sine pondere et usu non sunt. Forsitan illinc res videat, quae nos e nostro aspectu effugiant." Non omnia, quibus non consentimus, ea sola de causa, quod non consentimus, necessarie falsa et oppugnanda vel delenda sunt.

Nemo prohibeat, quin illud numen, quod hominibus mortalibus potentius maiusque est, credat et colat, sive deum sive naturam rerum sive fatum sive fortunam appellat. Quin etiam, quod verum dicit, amet, credat, sed sibi conscius sit illud non absolutum et solum toti mundo valere. Alia - non peiora - cogitantes ne despiciat.

Res gestae deo gratae?

Omnibus fere aetatibus ab hominibus aut furore religioso caeco incitatis aut, quod scelesti homines religionibus quasi simulationibus aliorum rerum abusi sunt, maxima scelera, bella, caedes commissa sunt - nomine dei. Quam re vera blasphemiam! Acerrimus quisque, qui vi convertebant, in carcerem mittebant, excruciant, interficiebant, gubernatores scelestissimos adiuvabant, bella crudelissima movebant in haereticos nominatos ea sola de causa, quod illi, quos persequebantur, alia (non-numquam ad eandem religionem pertinentia et in parvis rebus tantum differentia) credebant. Isti acerrimi fanatici, qui maxime pios se putantes scelera sua excusabant se omnia nomine dei fecisse dicentes, potius blasphemiam maximam commisisse mihi videntur. Propter religiones vel parvulas differentias de dogmatibus unius religionis rixari vel alios alios interficere - quam dementiam!

Daniel Weissmann

Aenigmata divina (I)

1. Pronomen iteratum vel dea
2. Pronomen vel aurora
3. "avidō" vel Eros

Stella Gitta

De caelum incolentibus



Variatio I

Petrus, caeli ianitor, portam caelestem aperit et novum advenientem accipit. Eum circumducit et hortos caelestes ei monstrat. Cum murum magnum praetereunt, Petrus: "Post hunc murum Catholici sunt", parva voce explicat. - "Aha", advena stupens dicit digitoque alium murum monstrans interroget: "Et quis ibi est?" – "Psst! Ne magna voce loquaris, queso", Petrus ait et susurrat: "Ibi Hinduismi cultores sunt." Advena curiosus circumspiciens: "Et quid?", inquit, "post illum murum a dextra parte est?" Iterum Petrus digitum ad os movens silere eum monet et susurrat: "Ibi Muslimi sunt." Tum advena miratus: "Sed qua de causa nos tam suppressa voce loqui oportet?" Petrus: "Omnes putant se solos hic in caelo esse."

Variatio II

Iudeus in caelum venit. Pertrus eum salvere iubens accepit et cum eo per loca caelestia ambulat. Advenam huc et illuc dicit, hoc et illud explicat et, cum subito ad murum altum veniunt, eum rogat, ut silentium teneat. "Qua de causa silere oportet?" Iudeus parva voce interroget. Petrus respondet: "Post hunc murum Christiani sunt, qui putant se solos hic esse."

Variatio III



Protestans in caelum venit. Petrus eum in conclave numero 49 mittit et rogat, ut silens conclave numero 23 praetereat. Paulo post Baptista advenit, quem Petrus in conclave numero 56 ire iubet rogans, ut silens conclave numero 23 praetereat. Tum Iudeus venit, qui eadem monitione facta in conclave numero 99 a Petro mittitur. Iudeus miratus interroget, cur conclave numero 23 silentio praeterire oporteat. Petrus: "Ibi Catholici sunt, qui putant se solos hic esse."

Daniel Weissmann

Catholicae religionis sollemnitates


Festus Christi nati dies
Spes orietur
magna salutis:
lux tenebrarum
agmina vincit.



Epiphania
Nos quoque dona
undique divo
multa feramus
grata puello!



Cinerum, qui dicitur, dies
Pulvis et umbra
esse videmur:
mente superba
expediamur!



Dies beatis celebrandis
Sancta corona
iam Paradisi
lumina reddit
splendidiora.



Dies mortuis commemorandis
Vincula saeva
morte recisa
hac pietate
viva tenemus.



Pascha
Sanguine Christi
culpa luetur,
quae genus omne
commaculavit.

Orestes Carbonero



De Hulderici Zvinglii vita

Anno a Messia exhibitio millesimo quadragesimo octuagesimo septimo, Kal. Ianuarii Huldericus Zwinglius natus est, parentibus probis, in pago Doggiorum (Toggenburg), quem vocant ad Domum sylvestrem (Wildhaus). Pater clarus fuit ob spectatam vitae sanctimoniam, et supremam, ut inter illam gentem, dignitatem Amannum enim egit. Hic de filio bene ominatus, tenerimum adhuc ad fratrem sacrificum adduxit, ut ingenii eius periculum faceret. Placuit mox adeo, ut Ludimagistro formandum commendarit: apud quem brevi tantum profecit, ut quae puer duceretur ad ingenii eius dexteritatem vilia iudicaret omnia.

Quare Basileam tum fere decennis missus, praceptorum nactus est Gregorium Bintzlium, hominem bonum, doctum et mire mansuetum. Hic protinus et moribus et litteris ita est auctus, ut in disputatiunculis, quae tum erant inter omnium ludorum pueros et adolescentes usitatae, victoram semper reportarit. In Musicis equidem supra aetatem excellebat, ut solent, qui natura sunt ad aliquam artem promptiores. Videbantur Bintzlio studia, quibus ipse praeerat, non congruere tam festivae indoli. Itaque domum remittens consulebat, ut alibi pro ingenii facultate curaretur institui.

Missus itaque Bernam ad Henricum Lupulum, virum doctissimum et poetica vena clarum; ab eo in adyta classicorum scriptorum introductus et verborum comparavit elegantiam et rerum cognitionem atque iudicium. Cognovit tunc carminis quoque componendi rationem, ut et ipse carmina condere et ab aliis condita iudicare feliciter posset.

Non totum abierat biennium, cum super hoc fundamentum philosophiae extrienda studia viderentur. Viennam igitur Austria profectus, nihil non quod philosophia complectitur, et ipse complexus est, et quae prius norat auxit atque ornavit. Aliquot annos ubi duravit; revocatus in

patriam, ne diutius ab exercitio litterarum feriaretur, Basileam repetit et quae didicerat hactenus, alios coepit docere. Nam Iudo praefectus Martiniano non sine magna pueritiae utilitate litteras humaniores professus est: Philosophica rimans interim exactius, et nugas Sophistarum persecutus haud indiligenter. Seriis et iocos miscuit et ludos. Nam ingenio amoenus et ore iucundus supra quam dici possit erat. Deinde Musices omnis generis instrumenta perdidicit atque exercuit: et non solum ipse ita coluit, sed omnibus litterarum studiosis, ut eandem artem pari studio colerent, suavit: non ut voluptatis esset administra, sed ut ingenium feriis defatigatum recrearetur et paratus ad solita studia rediretur. Nihil enim est, quod hominis animum honestius et iucundius exhilaret, quam moderata Musica.

Ubi ergo sat diu et artium liberalium et philosophiae studiis insudavit, praemium, ut hactenus in more positum fuit scholis, prensavit, hominum potius obtemperans iudicio quam suo.

Post magisterii titulum, cum res ita et ordo postularet, theologiam illam scholasticam non per transennam inspexit; statimque vidit, quam omnia in ea confusa, quam pauca sana essent. Mansit tamen in castris, veluti speculator, alienis, tantisper; donec a Glareanis ad pastoris munus fuit vocatus. Ibi tam quod ceptum erat per alios, perficere ipse cogebatur.

Itaque sacerdos factus divinis se studiis totum devovit. Ethnica non magni fecit praeter unum Valerium Maximum, quem exemplorum causa memoriae mandavit. De reliquo institutum suum persecutus est: Veterique et Novo Testamento evolvendo tempus omne transmisit. Orationis item nervos scrutatus ita in usum artem produxit, ut nostris hominibus prodesset, tum ad dicendum, tum ad iudicandum.

Iam eo progressus, ut doctis et bonis viris iudicaretur scripturam divinam in numerato habere: his quidem satisfaciebat, sibi autem nequaquam, nisi linguarum adiecisset cognitionem ex qua recte putabat perfici posse,



quod deerat. Ad Graecas igitur litteras animum adiecit; primo doctoribus usus Lexicis et translationibus. Descripsit Paulinas Epistulas, et memoriae mandavit; illud tandem consecutus, ut Graece, facilius quam Latine, intelligeret.

Deo docente discimus, quid de Deo sentiendum. Congredi autem statim coepit, iuxta Christi normam, cum flagitiis: ante omnia cum pensionibus, quas extirpare et patriam reformare ad sanctitatem pristinam prorsus habebat in votis. Pensiones autem tum appellabant principum munera, certis hominibus dari solita, militis comparandi et belli causa. Neque id tum primum fecit: sed ante annos viginti septem propter hoc ipsum: et quod resolutiones Pici Mirandulani super eas quaestiones, quas Romae disputandas, is olim frustra proposuerat, non improbarerat, a pinguibus illis aqualiculis clam exprobratam audivit haeresin. Hinc odium et linguarum petulantia contra Zwingliū cœperunt initium. Interea gratiam Evangelicam ita promulgabat, ut de Ecclesiae Romanae vitiis, nihil vel admodum parce, commemoraret. Volebat enim veritatem agnitam in cordibus auditorum suum facere officium: cum veris intellectis falsa etiam haud difficulter agnoscantur. Tigurum vocatur. Incipit ibi docere et iubet Lutheri libros legi. Venit eo tempore Tigurum Franciscus Lambertus Avenionensis Minorica, relicto monasterio, veste Franciscana nondum exutus. Hic mox cum Zwinglio congressus de intercessione Divorum, et Missa sacrificio, disputatione publica cum eo disseruit: sed facili opera victus cessit, et gratias egit Deo, quod per organum tam egregium ad veritatis cognitionem tam claram esset perductus.



Cum ergo Evangelium a Senatu Tigurino receptum esset et in dies vires sumeret, coepit Zwinglius rerum præsentium statu in meliorem commutando



Heinrich Zwingli

cogitare. Et ut ordine omnia fierent quae ad incrementum Evangelii facere putabantur, ea primo quoque tempore mutabantur. Numerus sacerdotum et monachorum iam olim visus maior quam pro religionis usu. Decretum itaque a Senatu, suasore Zwinglio, ut numerus ille sacerdotum et monachorum diminueretur ad tot usque personas quot futurae satis essent officiis Ecclesiasticis.

Hactenus ergo de Zwinglii laboribus; iam de periculis, quibus idem fuit obiectus. Sacerdotibus et monachis de gradu deiectis et contra pensionarios confecto mandato, decursum est ad insidias, si quo modo tolli posset homo. Venit aliquando post medium noctis quidam rogans, ut hominem morti proximum invisat diacono pro hero respondentе, se quicquid sit laboris obitum, tam obstinate renuit: ut oriretur de insidiatore suspici. Diaconus igitur abiens, ceu Domino relatus omnia, ostio occluso latronem foris manentem delusit. Mane facto cognitum est, navigio captum, ore mox obturato, clam fuisse deportandum. Non multo post et equus ad eundem usum paratus exspectabat. Deinde visus est insidiator in urbe pallio, gladio cinctus longissimo palam vagari, sibi posset virum, obviam opportune factum, trucidare. Indicatus capitur, et evanescit. Tigurini duo vino madidi, noctu Zwingliū domum lapidibus pulsantes et specularia perforantes, clamore, maledictis, ictibus tam crudeliter, turpiter, inhumaniter egerant, ut vicinorum nullus hiscere vel per fenestellam auderet. Nec cessarunt priusquam et lapides deficerent et verba et vires. Tumultus relatus est ad consulem, mane clausis portis quae sit sunt viris armatis per omnes urbis angulos frustra: dum mulierculae male conscientiae dissimulantes alterum proderent haud voluntarie. Extractus igitur e vase vinario sacerdotis cuiusdam, ab indignabundis pertrahitur in carcerem. Post multa iudicia condemnatur ad custodiā perpetuā, ubi postea quam septimanis aliquot detentus iacuit, demum est precibus donatus Bernensium. Coenabat Zwinglius nonnunquam foris apud amicos, vel apud hospites. Rediens igitur nunquam fere non excipiebatur imprudens a civibus bonis, ne quid accideret in via mali. Sed et senatus temporibus periculosis per noctem vigiles circa domum eius constituit.



Tandem ventum ad foedera est nova, pro defensione doctrinae Christi, veteribus nusquam tamen laesis, haud sine magno Zwinglii labore et studio. Non equidem quod contra patriam aliquid conaretur, sed quod, pro consilio quondam inito, vitia extirpare, et Evangelicam doctrinam in laudem Dei et utilitate Helvetiae totius ita plantare constitutum haberet: aut quod sic conaretur divina tueri: nihil magis desideraret, quam ut omnes gentes confiterentur Domino.


Itaque ut erat vir fortis ac prudens, libertatis patriae, avitae virtutis, ac imprimis gloriae Dei amans, duobus bellis intestinis interfuit: quorum utrumque a Capella, monasterio in Tigurino agro, Capellanum dicitur. Ad



prius sponte profectus est, ut consultationibus interesset, ne quid aberraretur a vero et bono. Felicissime cecidit; et sine sanguine confectum est. Ad secundum electus est. Causa belli nunquam placuit: minime egressus est ut capitaneus aut belli dux, sed ut bonus civis et fidelis pastor, qui suis in extremo periculo deesse nollet. Post cladem in corpus exanime valde fuit saevitum; et vix etiam illius morte potuit odii acerbitas exsaturari. Cadaver enim inventum, iudicio condemnatum, in quatuor partes dissecatum, et igni in cinerem fuit redactum.



Excerpta vobis proposuit Stella Gitta e libro, cui titulus est *Vitae Germanorum Theologorum qui superiori saeculo Ecclesiam Christi voce scriptisque propagarunt et propugnarunt a Melchiore Addamo concinnatae anno MDCXX.*



Non equidem quod contra patriam aliquid conaretur, sed quod, pro consilio quondam inito, vitia extirpare, et Evangelicam doctrinam in laudem Dei et utilitate Helvetiae totius ita plantare constitutum haberet: aut quod sic conaretur divina tueri: nihil magis desideraret, quam ut omnes gentes confiterentur Domino.

Itaque ut erat vir fortis ac prudens, libertatis patriae, avitae virtutis, ac imprimis gloriae Dei amans, duobus bellis intestinis interfuit: quorum utrumque a Capella, monasterio in Tigurino agro, Capellanum dicitur. Ad

prius sponte profectus est, ut consultationibus interesset, ne quid aberraretur a vero et bono. Felicissime cecidit; et sine sanguine confectum est. Ad secundum electus est. Causa belli nunquam placuit: minime egressus est ut



Facete lepideque dicta religiosa

I



Georgius Masetti, pastor Italicus, cum aliquando praedicationis finem fecisset, audientes, antequam ecclesiam reliquit, his vocibus reprehendit: "Non moleste fero, cari confratres Christiani, aliquem vestrum me praedicante horologium suum spectare. Sed horologium ad aures admovere examinandi causa, nonne substiterit, id modum tolerabilem excedit!"

II

Pastor quidam psychiatrum consuluit. Exploratione medica confecta medicus interrogavit: "Acciditne, ut dormiens loquaris, domine pastor?" Tum ille: "Nequaquam. Loquor tantum aliis dormientibus."



Pastor novo vicario: "In hac communitate", ait, "de qualibet re praedicare tibi licet; sed ne praedicaveris umquam diutius quam quindecim minutis!"

III



Ludovico XV° rege Francogalliae mortuo abbas de Sancta Genovefa (Abbe de Saint - Genevieve) ludibrio habebatur, quod omnes preces irritae fuerant. Tum abbas aequamente: "Quid querimini? Nonne ille vita defunctus est?"

IV

Cum rabbinus et sacerdos catholicus consedissent ad cenandum, sacerdos rabbino: "Quando tandem", ait, "tua tolerantia adeo augebitur, ut

hoc assum suillum optime sapiens gustes?" Tum rabbinus: "Ilo die, quo uxorem duces, mi eminentia!"

VI



Sacerdos rabbino: "Nocte proxima", ait, "somniavi me in paradi-
sum iudaeum venisse. Erat horribile: Quantum
clamorem et tumultum! Quantam turbam
confertam ubique! Et praeterea istum odorem
malum!"

Tum rabbinus: "Quem casum fortuitum!
Equidem nocte proxima somniavi me in para-
diso Christiano versari. Quantam quietem! Ubique flores et prata, odo-
rem mirabilem rosarum ac iasmini - et longe lateque nullum hominem!"

VII

Pastor iuvenis, qui vinum non spernebat, praedicationem primam perfe-
cerat et pastorem vici interrogavit, quomodo ei placuisset. Ille: "Fuit satis
bona, tribus mendis exceptis: Primum Cain fratrem Abel non aqua
demersit, sed occidit. Deinde Iesus non trans lacum
Calterensem (Kalterersee), sed trans lacum Genezareth
migravit; postremo in fine te dicere "amen", non "prosit"
oporebat."



VIII

Viator Helveticus Romae in area stativa civitatis Vaticanae autoraedas
preciosas, plurimas generis fabrica-
tionis "Mercedes", miratus et caput
concutiens uxori: "Incredibile", ait,
"et in principio nihil habuerunt nisi
asinum..."

IX

Sacerdos artis peritissimus cum moriturus ultimum oculos aperuit,
episcopus crucifixum eius ori admovit. Quod spectans sacerdos decep-
tus: "Prima parte XVIII saeculi confectum", susurravit, "opus mediocre,"
et animam efflavit.

Daniel Weissmann



Ubi sit divinitas

Vetus fabula Hinduista tradit olim omnes mulieres et viros
deos deasque fuisse. Sed divinitate sua adeo abutebantur,
ut Brahma, deorum rector, constitueret divinitatem eis adimere et quo-
dam in loco abscondere, ubi eam nullo modo invenire possent. Difficillimum autem erat, latibulum aptum invenire. Cum dei minores in
concilium convocati essent ad quaestionem solvendam, haec proposue-
runt: "Infodiamus hominum divinitatem in terram". Sed Brahma respon-
dit: "Id non satis est, quod homines fodient et eam invenient."
Tum alii dei: "Iaciamus divinitatem in profundissimum omnium marium."
Sed Brahma iterum: "Non sufficit, nam prius vel posterius homines pro-
funditates omnium marium perscrutabuntur et non dubium est eos divi-
nitatem ad aequor proferre." Tum dei minores ratiocinabantur:
"Nescimus ergo, ubi divinitatem abscondere possimus, nam nullus locus
in terra vel in mari est, qua homines eam aliquo die non
inveniant." Tum Brahma: "Haec faciemus: Divinitatem in
intima parte hominum ipsorum abscondemus. Qui est
solus locus, ubi homines eam numquam opinabuntur."
Ex eo tempore, ut fabula narrat, homines terram circum-
vecti sunt et perscrutati sunt et ascenderunt, foderunt et
aquam subierunt - aliquid querentes, quod in eis ipsis
est.



Latine redditum Daniel Weissmann



Deus in tecto

Deus in tecto est. Nunc est ascendendum. Alii scalis id
conantur, alii fune vel gradibus lapideis vel pertica
bamboo: quisque suo modo ascendit. Unum solum
est propositum: in tectum advenire. Utrum hac via an illa utamini, non
refert. Scilicet fieri non potest, ut variis modis simul utamini; si variis
tamen, alio post alium utendum est. Cum deum inveneritis, tum in tec-
tum advenistis, et nunc intellegitis variis viis utendis fieri posse, ut eum

adipiscamini. Dicatis alia in religione multa errata esse et superstitionem. Ad ea respondeo: Forsitan ita sit. Cuique religioni sui errores sunt. Nam quisque putat suum horologium solum bene operari. Satis autem est ferventem amorem in deum habere.

Dicta Ramakrishnae (1836-1886) traditione Hinduista
Latine redditum Daniel Weissmann

Aenigmata divina (II)



Prius verbum pro "immortales"
Secundum est praepositio vel flumen
Summa est luna vel filia Iovis

*

Prius verbum est socius vel aequalis
Secundum est pronomen
Summa de pulchritudine iudicium fecit



*

Prius verbum est Mercurii filius
Secundum est arabicus fons
Summa spem tenet

Stella Gitta



De una veritate et variis eius nominibus

(Monachus Indus ante 100 fere annos parlamentum mundianum religionum stupefecit)

Primum parlamentum mundianum religionum die 11° mensis Septembris anno 1893° in urbe Americana nomine Chicago coepit. 7000 homines in magnam aulam artium convenerant, oratores in rostris sedebant: Catholici et Protestanti Christiani, Iudei et Muslimi, Hinduistae, Buddhistae, Konfuziani, Shintoistae. Primum religiones Orientis aequa-

fere aestimatione ac Christianismus in publicum prodierunt. Tum unus vir imprimis omnium attentionem in se vertit: Swami Vivekananda, iuvenis monachus per mundum migrans e Bengala (Bengalen) veniens. Re vera non invitatus erat neque mandatum habebat. Itaque primum non admissus erat, sed postremo impedimentis superatis parlamento religionum interesse ei contigit.



Cum Vivekananda ad rostra iit, legati mandatis affecti Hinduismi indignantes capita concusserunt et fremuerunt existimantes istum vagabundum monachum civitati sua non magno honori esse. Sed erraverunt. Haec fere Vivekananda pronuntiavit: Una sola veritas est, sed varia nomina habet. Quaeque religio particeps est illius unius et unicae veritatis. Quaeque religio itaque reverenda est. Versa vice autem nulla religio affirmare potest se solam in veritatis possessione esse. Audite nonnulla exempla ex orationibus, quas Vivekananda apud parlamentum mundianum religionum habuit:

"Maxime gaudeo, quod particeps sum religionis, quae homines mundi docuit tolerantia uti et alios se agnoscere alios. Non solum tolerantiam toto in mundo esse credimus, sed etiam quamque religionem quasi veritatem agnoscamus. Nonnullos carminis versus, qui a pueris me comitantur, vobis narrare velim: 'Ut varia flumina fontes suos variis in locis habent et aqua eorum tamen in mare confluit, ita cursus semitarum hominum varii quidem sunt, sed postremo ad te ducunt, Domine.' Hic coetus mundo illam dispcionam miram demonstrat, quae in Bhagvada Gita continetur, ubi legimus: 'Quicumque ad me venit qualibet in forma, eum accipiam; homines in semitis laborant, quibus postremo omnes ad me ducuntur.' "



"Parvam fabulam vobis narrare velim: Ex multo tempore rana in puteo vivebat. Quo in puteo nata et educata erat, semper ibi manebat, vermes et insecta comedebat et paulatim rotunda et crassa fiebat. Aliqua die alia rana, quae in mari vivebat, in hunc puteum incidit. 'Unde venisti?' rana putealis interrogavit. 'E mari venio' alia rana respondit. Tum rana putealis: 'E mari? Qua magnitudine mare est? Estne tantum, quantum puteus

meus?' Rana maritima: 'Amice', ait, 'quomodo mare cum puto tuo parvo comparare potes?' Rana putealis ab altera parte puteoli ad alteram saluit et interrogavit: 'Taline magnitudine mare est?' Rana maritima: 'Quantae amentiae est, puto tuum cum mari comparare!' Denique rana putealis: 'Desinamus. Sed nihil est, quod puto meo maius est. Et quis alia dixit, mentitur. Apage te et hinc facesse!' Ea ipsa difficultas nostra est. Hinduista sum. In puto meo parvo sedeo existimans eum puto totum mundum esse. Christiani in suo puto sedent et eum totum mundum putant. Muslimi suum pto totum mundum ducunt. Vobis hic gratias ago, quod fines nostrorum mundorum parvorum et angustorum diruere studetis.".... "Naturae rerum consilium est unitatem ex varietate efficere, et Hinduista eius consilii sibi conscientia est. Ceterae religiones certis dogmatibus captae et implicitae societatem cogere volunt ea dogmata accipere. Hinduistae cognoverunt solum in relative (in rebus cum aliis comparatis) absolutum inveniri posse. Religiones ad tempus et mutabiles sunt, a viris mulieribusque creatae variis temporibus et variis condicionibus. Omni in religione homines imaginem Dei fingunt. Sed principium omnium religionum idem et unus deus est. Quibus de causis tota discrepancy religionum sunt? 'Opinatae tantum discrepancy sunt', Hinduista respondit. Omnes insitae sunt eidem veritati, quae condicionibus variis formis variis induit. Lux est idem, sed vitreis quadraturis, per quas lucet, variis coloribus sunt.

Si umquam universalis religio erit, tum illa neque tempore neque spatio terminari poterit, infinita erit ut deus, quem pronuntiat. Religio erit, cuius sol et Krishnae sectatoribus et Christianis, et sanctis et peccatoribus lucebit. Quae religio non Brahmanica, non Buddhistica, non Christiana, non Muslma erit, sed summa omnium. Spatum ei infinitum erit ad progrediendum. Insectationibus et intolerantiae locus non erit. Divinum in omni muliere et omni viro insitum agnoscat."....

"Multae de religionum unitate et de principio communi locuti sumus. Si quis sperat eam unitatem victoria unius religionis de omnibus ceteris effi-



ci posse, errat. Num Christianus Hinduista fiat? Deus prohibeat. Num Hinduista vel Buddhista Christianus fiat? Deus prohibeat.

Num semen, quod satum est et terra, aere, aqua circumdatur, ipsum terra, aer, aquae fit? Nequaquam. Planta fiet, legibus sui proprii incrementi crescat. Terram, aerem, aquam recipit et in substantiam (naturam) plantarum mutat et ita paulatim planta fiet.

Idem de religionibus quoque fit. Non oportet Christianum se in Hinduistam vel Buddhistam convertere, non oportet Hinduistam vel Buddhistam in Christianum se convertere.

Quisque mentem aliorum accipiat, neque vero suum proprium amittat neque desinat suis legibus crescere. Si quid hoc parlamentum religionum mundi monstravit, id est: Pietas, probitas, dignitas, misericordia non sunt in possessione unius solius ecclesiae. Omnes fides religionesque mulieres virosque egregios procreaverunt. Etiamsi multa obstant, vexillis omnium religionum mox inscriptum erit: 'Non pugna, sed auxilium mutuum; non exitium, sed permutatio sententiarum cogitationumque mutua; non controversia, sed harmonia et pax.'"

Daniel Weissmann

SOLUTIONES (RV 3/05)


De solutionibus nobis missis (omnino V fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Orestes Carbonero	Ursula Schwenk	Max. S. Müller-de-Vries
Corso IV Novembre 9	Aehrenweg 13	Chapfstr. 394
I-15100 Alessandria	5430 Wettingen	8214 Gachlingen
His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!		

C	L	A	U	D	I	A
L	A	E	T	A	N	S
A	E	R	A	T	A	S
U	T	A	M	I	N	I
D	A	T	I	V	I	S
I	N	A	N	I	A	T
A	S	S	I	S	T	O

Rumoris Varii domus editoria





De humani generis caritate

«Natura propensi sumus ad diligendos homines», Cicero ait. Hominum, fratrum meorum, qui sunt, ut ita dicam, pars mei, num iniuria misereor? An tu, si in locum ubi vulnerati curantur intrasses, in vulneribus eorum rideres? Corporis ulcerata nulla sunt praे ulceribus animi: te crudelitatis tuae puderet, si miserum quemdam, cui crus succisum esset, derisisse; at nunc tam inhumanus es, ut in universos homines, qui mentem amiserint, illudas.

Mali qui pauperibus invidiam incere quasi ratione quadam conantur negant ad illos pertinere quoquo modo caritatem, aut cuiquam illo die, cum tandem iustitia regnet, aliorum benevolentia opus futurum esse. Tempus utinam re vera sit umquam, quo nulli iam pauperes in terris erunt! Attamen semper dolebunt aliqui. Est enim caritas ea, quae faciat elemosynas, quae potum ac cibum praebat. Corpora haec quidem alit et tegit et calefacit, et saucia vel aegra sanat atque tuetur. Sancta et necessaria est, quippe quae bonis corporeis consulat, quibus nihil saepenumero impensius natura poscit: edere ante omnia opus est. Haec tamen, vel si infinitos respicias hominum, maxima bonorum numquam videntur esse. Caput est, ut omnibus, quae solacia atque amicitiam exspectent, demus. Quod facere quidem non solemus. Quos enim adversa fortuna tetigit ea mente adimus, ut nobis excidat eorum animos molles ac teneros esse, immo teneriores etiam quam nostri, cum illos dolorum morsus non indurarit, sed ad vivum rescuerit... Iustitiae aliquantum a nobis exspectare sese vere quidem dicunt; sed quae dolentibus flentibusque iustitia debetur pulchriore solet vocari nomine: ea est humanitas, qua humanitate et in vocibus et in gestu et in minimis officiis utimur: nam magno momento cuncta sunt.

Estelle Gitta

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **IDIBUS MARTIIS** EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT:	primum praemium	LIBER
	secundum et tertium praemium	LIBELLVS

1. pulcherrima femina putabatur
2. manducaturum
3. clara
4. sublevet
5. exuta
6. quae a viro cupitur vel
desideratur (Acc. sg. f.)



1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

Daniel Weissmann

LUDICRA CAELICOLUM OBLECTAMENTA

PARS PRIMA

Fabulae personae:

Cupido	deus
Plutus	deus
Iuno,	dea
M. Valerius	publicani filius
Publia,	futura ingentis patrimonii heres
Lucilla	senatoris morte multati filia

Actionis scaenicae locus: Romae, tristissimis Domitiani temporibus

Prologus caelestis

CUPIDO: Mortalibus aegris, qui in aliquod semper negotium incumbunt, paene, Plute, egomet invideo.

PLUTUS: Noli, quaeso, fatuari. Hoc enim hominibus praestare deos constat, quod nullo sibi labore victum comparare valent.

CUPIDO: Atqui vel in miserrimi homuncionis locum substituar equidem malim: necesse est enim numquam taedeat eum qui aratro, vel malleo, vel chartis cotidie insudet.

PLUTUS: Ad tempus iucunde terendum licet nobis, exempli gratia, astragalis vel tesserulis ludere....

CUPIDO: Ganymedem nuperrime callida fraude usus vici, sed istiusmodi tropaeo ne tantulum quidem sum delectatus.

PLUTUS: Flores, quos in hortis suis Venus tam sedule colit, quidni pedibus obteramus nostris?

CUPIDO: Anne ut nates meas sandalio augusta genetrix percutiat?

PLUTUS: Icosa hilaritate afficimur quotiescumque, tamquam de superno podio, homullos in mundano theatro agentes despicimus...

CUPIDO: Sit sane ita, uti dicis; non semper autem e pomo, de quo tres deae contendant, decennale bellum oritur, pergratum sane ac ludicum ocellis nostris, humani cruoris avidis, spectaculum...

PLUTUS: Nec tam crebro, ut ad recentiora transeamus, locupletissimos ea una de causa proscribi eros vides, ut affluentibus bonis despolientur... CUPIDO: Quidnam, eheu, cotidiana consuetudine nullis varietatibus obnoxia molestius?

PLUTUS: Uter nostrum ampliore apud mortales ac maiore potestate polleat, dialectica, sis, inter nos subtilitate disputemus!

CUPIDO: In impar nolo certamen descendere, ex quo superior nimia facilitate sim evasurus.

PLUTUS: Imprudentis est adversarios minoris, quam reapse sunt, contemptim existimare....

CUPIDO: Satis superque esto Vergili illud "Omnia vincit amor, et nos cedamus amori ", amice, commemorare.

PLUTUS: Nec tamen praetereundum est quod idem Vergilius, nisi fallor, "quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?" alio operum suorum loco sententiali tenore cecinit.

CUPIDO: Minime erga te officiosus Hipponax ille exstitisse videtur, qui probra in Plutum maledictaque congestis...

PLUTUS: Quid vero de Lucretio dicamus, qui in quarto poematis sui libro nihil inter amorem et furorem interesse censuit?

CUPIDO: Apud Aristophanem oculorum aciem im Aesculapii templo redditam tibi esse legimus, at caecum etiam nunc tete praebes in pecunia indignissimis latronibus largienda...

PLUTUS: Tu autem misellos occaecare viros consuevisti, qui, viliorum femellarum amore depereunte, avitas perperam divitias profundant.

IUNO: (*ex interiore deorum regia subirata prodiens*) Ecquandone, scelesti nebulones, iurgandi inter vos finem facietis? Nil mirum si pauciores in annos homines deos esse credunt, cum indecora frivola levitatis specimina contumaci temeritate edatis! Certaminis istius, quod suscepturi estis, memet ipsam accipiat arbitram oportebit: victoris palma eidem tribuetur, qui artibus suis usus M. Valerium, avidioris publicani filium eundemque amatorculum lepidissimum, in suam dicionem potestatemque redegerit. Iuvenem utrique vestrum pari obsequio deditum delegi, ne alterutri praeiudicata mentis animique inclinatione favisse viderer.

PLUTUS: Nullam interponam moram quin escam,isci captando maxime

idoneam, affabre paratam collocem: uxoris enim loco ei proponendam curabo futuram ingentis patrimonii heredem, tam vero aspectu foedam, ut nemo cerebro sanus istam amplecti amore Megaeram sustineat!

CUPIDO: Ego autem efficiam ut masculus ille puellae omni ope experti, clandestina immo obscuritate delitescere coactae, forte fortuna incurrat, fulgida cuius pulchritudine spe omni opinioneque celerius inextricabiliter allicietur.

Scaena prima: apud Publiae aedes

VALERIUS: Qui binas eodem tempore ab uno amari posse viro feminas negavit, ab eo plane dissentio, Ovidii versus in Pomponii Graecini confutationem compositos prudenter secutus. Hoc ipsum enim ignaro nuper mihi accidit, ut et Publiae pecuniam et Lucillae formositatem pari desiderio concupiserem. Iam plures ambigo hebdomadas, utram earum ad postremum eligam. Careat sane Publia omnibus illecebris, quas in pueris plerumque mares requirunt; quis vero caeruleos procacis amasiunculae oculos multis iugerum milibus mente sanus anteponat, quae pater eius possidet et uni, quam procreavit, filiae hereditate iam iamque reliturus est? Ceterum, licet fortunis expers sit Lucilla, patre infelicissimo prognata quem, maiestatis utpote convictum, extremo Caesar suppicio superiore anno multavit, ea praedita est nativa atque inaffectata elegancia, ut nusquam gentium tam fero corde barbarus reperiatur, quin ardentи decorae faciei cupidine primo statim congressu flagret.

Neutram, ut par est, ullam de me concipere suspicionem sivi: utraque a Valerio unice dilig sese persuasissimum habet.

Neque ullum de tam ardua difficile quaestione amicum consului, malevolos haud sine causa aequalium rumores veritus.

Sint mihi Iuppiter iuranti atque Apollo testes: eligendi munus fortunae, si modo liceret ac per me staret, libentissime hodie permitterem.

Quo vero in Urbis vico solivago gressu oberro? Inscium me atque inopinantem ad Publiae aedes pedes duxisse dicas. An tacitam precem meam caelestia numina pro clementia sua ac liberalitate exaudiverunt?

Orestes Carbonero

Altera pars in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonneiere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonneiere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist): _____

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum:

Unterschrift:

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS ECLECTICA
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex

RVMOR VARIVS
C/o Daniel Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern

Hic solutionem inscribe et chartam mitte !

1	2	3	3	4	5	6
2						
3						
4						
5						
6						

PP/Journal
1218 Le Grand-Saconnex




5+6/2005

IDIBVS DECEMBRIBUS

MMV

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



TOMVS 27

FASC. 156